

§. III. Majoris veritatem Röellio monstrat sana ratio.

Minorem probō:

I. Quidquid Scientiam Dei infinitam negat, illud sanctitatem Dei negat.

Absolutum Electionis Decretum Scientiam Dei infinitam negat.

E. Absolutum Electionis decretum Dei sanctitatem negat.

Major constat, quia omnia Dei attributa tam aucto nexu inter se & cum divina essentia cohærent, ut uno negato negentur cetera ipsaque divina natura Deo detrahatur, & sic ex Deo fiat non Deus. Speciatim infinita voluntatis divinæ sanctitas ita presupponit infinitam intellectus divini scientiam, ut hac negata, [ illa ] removenda sit.

Minor probatur: Quicunque non praescit futura ante decretum de illis vel efficiendis vel permittendis, ille non novit omnia. Non enim novit omne objectum scibile.

Deus, vi absoluti decreti, non praescit futura, ante decretum de illis vel efficiendis, vel permittendis.

E. Deus, vi absoluti decreti, non novit omnia.

Minor hujus argumenti probatur: Nam Deus, vi absoluti Electionis decreti, non elegit homines motus à fide prævisa, propterea, quia nihil praescit, nisi ante decreto absoluto id determinaverit.

§. IV. II. Quicquid Sapientiam Dei infinitam negat, illud sanctitatem Dei negat.

Absolutum Electionis decretum Sapientiam Dei infinitam negat. Ergo.

§. V. Majoris veritas manifesta est ex §. III. Minor hujus Syllogismi probatur.

[I.] Quicunque aliquid decernit, antequam id, quod decernit, cognovit, ille non est sapiens.

Deus, vi absoluti decreti, decernit aliquid, antequam id, quod decernit, cognovit,

E. Deus